misi sunt confessores nominis Christi, et de infidelibus fideles fierent. Adhuc sequitur: Ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei.
Id est sibi ostensum dixerat, quod ipsi inimici ad vitam servarentur. Desiderium: Noli inquit pater delere iudeos, sic merentur, sed
reserventur ad vitam. Ne obliviscantur populi mei. Id est apostoli. Quidam codices habent: ne obliviscantur legis tuae. Permittantur
inquit vivere, ut portent testimonium scripturarum quae de me sunt per orbem universum, ne forte ab incredulis existimetur aliquid
humana praesumptione excogitatum, cum omnia quae in Christo impleta sunt in eorum libris longe ante praedicta inveniuntur. Sic
quippe ex ipsis eorum voluminibus facile gentilium incredulitas revincatur. Unde sequitur: Disperge illos in virtute tua.
Hoc est dissemina eos per omnes terrarum partes, ut ubique signa veritatis meae et testimonium magnae auctoritatis ubique cir-
cumferant. Et depone eos protector meus domine. Orat pro illis ut deponantur de superbia, qua tumebant se solum dei peculi-
arem esse populum, sibi tantum tradita sancta dei eloquia deputantes, et humiliati melius erigantur post ruinam, credendo in
eum qui est non solum rex iudeorum, sed et omnium gentium. Delictum oris eorum, scilicet depone, ut non loquantur contra filium tuum. Sermonem
labiorum suorum, subauditur occide, non ipsos. Delictum oris eorum fuit blasphemia, quando arrogantes dixerunt: In Beelzebub
principe demoniorum eicit demonia, et demonium habes, et nonne hic est filius fabri, et cetera. Sermo vero labiorum ipsorum fuit
cum clamaverunt: Reus est mortis, et crucifige illum. Hoc inquit occide in illis, quod male egerunt contra me. Et comprehendantur
in superbia sua. In superbia qua dicebant: In qua potestate haec facis? Comprehensi sunt, cum eo resurgente a mortuis viderunt
frustra se irrisisse in eum, et nihil profecisse quod contra eum clamaverunt, quoque nomen eius delere conati sunt. Factum quod est illorum fuit,
sed facinus illorum permansit. Et de execratione et mendacio, subauditur evellentur. Execrationem, scelus illud maximum dicit
dominicae necis, propter quod in toto mundo execrationi et horrori habentur iudei. Mendacium vero vocat, quod scripturas depravave-
runt perverse eas intelligendo. Ab hoc evellentur et liberabuntur, cum ad veritatem quae Christus est convertentur. Sive mendacium illud dicit
quod a custodibus redemerunt data illis pecunia, quando dixerunt: Dicite quia discipuli eius furati sunt eum nobis dormientibus. An-
nuntiabuntur in consummatione, id est in perfectione. In ira, hoc est in vindicta consummationis. Ira vindicta dei. Solet ira appel-
lari, sed quia dominus adhibet vindictam ut perficiat. Annuntiabuntur ergo in vindicta consummationis, cum praedicabitur a baptista: quia ubi
habundavit iniquitas, superhabundavit gratia. Et non erunt, subauditur iam superbi, cum Christum receperint, et eius humilitatem secuti
fuerint. Comprehensi enim in superbia sua iam non erunt superbi, quia consummati, hoc est perfecti in opere et fide, credent quia Christus morte sua
redemit multitudinem gentium. Unde sequitur: Et scient, scilicet iudei in fine mundi, quia dominus dominabitur Iacob et finium terrae.
Quidam codices habent: et finium terrae, sed beatus Hieronimus in libro ad Sunniam et Fretelam dicit in greco non haberi et. Est autem ordo:
Cum inquit conversi fuerint iudei et falsae scientiae superbiam abiecerint, tunc scient quia dominus Iacob, id est ille qui notus erat in iudea deus,
quique se deum Abraham et deum Isaac et deum Iacob vocari iusserat, dominetur per fidem in omnibus finibus terrae. Convertentur, scilicet iudei ad fidem,
ad vesperam, id est sero, postquam Christum dominum morti dederint. Et famem, scilicet verbi dei, patientur ut canes, velut illi qui ex gentibus pec-
catores esse visi fuerint. Sic et iudei recognoscent se peccatores, qui prius iustos se putabant, et implebitur quod apostolus dicit: Omnes enim
peccaverunt et egent gloria dei. Merito ergo canibus iudei comparantur, quia Christiani fidei munere saginati ecclesiam dei clamosa praedi-
catione defendere festinabant. Et circuibunt civitatem, id est requirent studiose per omnes gentes, quos praedicando convertere et quasi
mandendo in corpus suum, hoc est in societatem suam possint deo propitiante et auxiliante recipere. Et hic notandum quod hic versus
similiter superpositus est, sed diverso intellectu. Ibi enim vespera finem seculi, hic autem vespera initium sextae etatis, id est vesperam mundi
designat, quando dei filius pro salute hominum natus, passus est et resurrexit. De qua vespera Iohannes dicit: Filioli, novissima hora est.
In hac vespera conversi sunt iudei, quia praedicantibus apostolis una die crediderunt tria milia, alia die v milia, et deinceps multa
milia. Ipsi dispergentur ad manducandum. Cum inquit iudei veram receperint doctrinam, dispergentur ad manducandum, hoc est per-
agrabunt regiones ad manducandum cibum spiritalium epularum, ut quos sua praedicatione converterint traiciant in corpus
ecclesiae, sicut et Petro dictum est caelitus sibi ostenso vase: Macta et manduca. Hoc impletum est quando, ut in actibus apostolorum legitur,
hi qui ipsi fuerant sub persecutione quae facta est sub Stephano pertranseuntes praedicabant verbum dei. Si vero non fuerint saturati,
et murmurabunt. Saturantur doctores, cum viderint auditores doctrinam suam ardenti studio suscipere. E contra non saturantur
cum verba sua tepide et neglegenter eas audire viderint, nec fructu fidei in eorum desidiosis mentibus generari. Et tunc quasi
murmurant ministri verbi dei, dum non fuerint populorum credulitate refecti. Potest hic et ad illos referri, qui credentes
ex circumcisione volebant adhuc carnaliter legem observari, sabbatum et omnes cerimonias legales ex ordine antiquo

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 125 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/125)